

Alte Drucke

**THESES THEOLOGICÆ || DE STATV HOMINIS || ANTE
LAPSUM: || SIVE || DE IMAGINE DEI AD || quam fuit homo
conditus: || PROPOSITÆ AD PUBLICAM ...**

Piscator, Johannes

Herbornae, 1592

VD16 ZV 31088

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148919

THESES THEOLOGICÆ
DE STATV HOMINIS
ANTE LAPSUM:

SIVE

DE IMAGINE DEI AD
quam fuit homo conditus:

PROPOSITÆ AD PUBLICAM DISPU-
tationem in illustri schola Herbornensi:

Præsidente

REVERENDO ET CLARISSIMO VIRO D. JOHANNE
Piscatore sacre Theologiæ Professore;

Respondente

CHRISTOPHORO IOHANNIDE DANO.



HERBORNÆ

Ex officina Christophori Corvini.

clo 13 xcll.

*D. Henrico Heitfeldio Joh. Piscator
cum plurima salute mittit.*

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY



HERBORN

Herborn Collection

1815

Thomas Jefferson

1815

ILLUSTRI ET GENEROSO DOMI-
NO, DOMINO JOHANNI SENIORI, COMITI
NASSOVIAE, CATZENELNBOKEN, VIANDÆ ET DIETZ,
ac Domino in Beilstein, Domino suo clemen-
tissimo S. P.

Si laudatur á sapientibus Ethnicis Atticorum illud iurjurandum, Ἀμυνῶ δὲ καὶ ὑπὲρ ἰσῶν καὶ ὑπὲρ ὁσίων, καὶ μόνον καὶ μέγα πολλῶν· τὴν πατρίδα δὲ ὅκ ἐλάσσω παρεδῶσω, πλείω δὲ καὶ κρείττω: hoc est, Pugnabo & pro sacris & pro profanis, idque & solus & cum multis: patriam verò non deteriorem posteris tradam, sed ampliorem ac meliorem: multo magis á piis laudanda est tua Celsitudo, Illustris & Generose Comes, cui nihil prius, nihil antiquius, nihil denique, amabilius est, quam ut bonam partem tui splendoris & opum, in conservationem & propagationem Orthodoxæ religionis in Repub. Christiana conferas. Pie enim, & recte consideras, hunc scopum tam Principibus quam aliis Christianis pro sua facultate & statu debere esse propositum, ut puritatem verbi divini, contra omnes omnium hostium furores, amplectendo, amando & promovendo, magis magisque gloriam Dei ornent. Quod autem inter hos præclarum sibi locum vendicet T. C. testantur non modo scholæ tuæ Philosophicæ, sed etiam Theologicæ in hoc Herbornensi tuo oppido apertæ; nec non stipendiarii quos hic liberaliter sustentas, multi: qui tanquam ex equo Trojano, ad sonandum puram Evangelii doctrinam successive prodeunt. Accedit insuper cæterus Professorum ac Preceptorum: quorum alii sacrosanctam Theologiam, alii Iurisprudentiam, alii Philosophiam, alii denique Linguas tradunt: idque ita ut te volente & iubente, ministerium Verbi in Scholis & Ecclesiis, ac in Repub. iudicium & iustitiam, conservare & ad successores illa incontaminata provehere singuli ac universi studeant. Neque dubium est, quin conatui pio sanctum successum largiatur Deus. Ceterum, hoc maximum maximarum heroicarum tuarum virtutum decus, Illustris & Generose Comes, norunt non solum Germani aut qui eis in vicinia sunt Belgæ: verum etiam Galli, Angli, Scoti, Dani, qui sanè sincerioris doctrinæ & bonarum artium discendarum causâ hic commorantes, non potuerunt non agnoscere & agnoscent olim, multo clariùs in te solo heroicas virtutes lucere, quam in cun-

His Attica regionis gubernatoribus, unquam apparuerunt: quippe reipub. tibi a Deo commissæ statum, non deteriorem, sed ampliorem & meliorem posteris tradere studes. De fratre tuo, olim Aurania (memoria felix) potenti Principe, quid dicam? Nemo sanæ mentis inficias unquam ibit, Atticorum illum exemplo fortiter pugnasse & pro lege, & pro grege, & solum, & cum multis: imò pro laudatissima patria & Ecclesiæ Christi incolumitate, inter ipsa hostilia arma, Deo sic disponente, occubuisse. Neq; paternis vestigiis jugiter insistere desinit piissimus Princeps ac bellicosissimus heros MAURICIUS, tuus ex fratre nepos: quem nunc maxima pars Belgii & vicinarum provinciarum digne suspicit, colit, amat. Breviter, Nassovica domus sibi imitandum proponit exemplum Davidis, canentis, se amare patriam propter Ecclesiam quæ in illa fuit: Psal. 122. v. ultimo: Propter domum Jehovæ Dei nostri, procurabo bonum tibi. Hanc ille domum, hoc est, Ecclesiam prætulit palatiis splendidissimis hujus mundi regum in Psalmo 84. v. 11. Nam melior est, inquit, dies unus in atriis tuis, quàm mille alibi: Eligo frequentare limen in domo Dei mei, magis quàm habitare in tentoriis improbitatis. Quas stirpis Nassovianæ virtutes, maximeq; tuarum, Illustris & Generose Comes, virtutum penè infinita ornamenta (quæ ipse, licet è remotiori septentrionali plaga oriundus, per sesquiannum hîc vidi) quoties perpendo: non possum non toto pectore Deo gratias agere, quòd etiam in his terris, tali Ecclesiam suam dignatus fuerit nutricio, qui exemplo sanctissimorum principum, Ezechia & Josia, omnes reliquias cultus istius idololatriæ, quo templum Domini per Papistas turpiter fuerat conspurcatum, omnimodè extirpat, emundat, tollit.

Quòd verò tuæ Celsitudini hoc publici exercitiî monumentum nuncupare sim ausus, nullus (Deum testor) me impulit arrogantia vel temeritate morbus. Sed quoniam fidelissimus religionis Christianæ doctior, D. Johannes Piscator Argentinensis, schola hujus Professor celeberrimus & præceptor meus tam optimus quàm charissimus, hoc mihi negotiî suo quidè jure dedit, ut de imagine Dei in homine, theses conscriberem, & pro ingenii modulo, ipso præside, disputandas proponere: capiti tandem cogitare, si voto responderet eventus, me non abs re facturum, si eas Tuæ Celsitudini consecrarem. Causam si quaris: & illa in promptu est. Nam ut Israëlita obtulerunt Jehovæ Domino primitias suas in gratæ memoriæ pro acceptis beneficiis symbolum: sic tibi, Illustris & Generose Domine, inclytæ hujus scholæ Herbornanæ fundatori & conservatori, meorum ego studiorum primitias offerre volui, si non parum Israëlitis industriâ, attamen pari voluntate & animi promptitudine. Quocirca ut eas benigna manu ac sereno vultu accipere digneris, summâ quàm possum humilitate rogo. Fateor ingenuè, Theses hæc in quantum profectæ sunt à me, suis jejunas & tenues, nec Tuæ Celsitudine dignas esse: verùm ipsius rei argumentum, meumq; animum, qui certè est gratissimus ac singularem tuam erga literas & li-

teratos

teratos favorem quamplurimis cupit fieri notissimum, si spectes; spem mihi facio magnam, eas á te non improbatum iri. Non enim displicuit Domino & servatori nostro illa pauperula, quæ exiguum es quod habuit, in gazophylacium misit. Quæ ego spe fretus, quód potiús voluntatem offerendi meam quàm rei oblata tenuitatem ponderare velis, certissimè mihi persuadeo. Quod reliquum est, Deum omnipotentem, in cujus manu cor Principum est, precor, tua consilia & actiones, ut hætenus, ita & deinceps, ad promovendam nominis sui gloriam, Reipub. literaria incrementum & subditorum felicitatem dirigat: teq; quàm diutissimè, uná cum universa familia, ut illustrissima, ita & piissima, nobis incolumem conservet. Herbornæ die 24. Januarii, anno Christi servatoris 1592.

Tuæ illustri Celsitudini

addictissimus

Christophorus Johannides Valli-
paganus, Danus.

A iij



DE STATU HOMINIS

ANTE LAPSUM.

Thesis I.

Secundum Deum & ejus voluntatem verbo revelatam, omnium quæ sunt in mundo rerum, nihil melius, nihil pretiosius, nihilque utilius homini existit cognitione sui: tum quia Deus ex illa sui imagine naturæ humanæ insculpta vult agnosci; tum quia absque hac, ad finem, ad quem conditi sumus, nequaquam aspirare, nedum pervenire possumus.

II.

Ad hanc verò nostri notitiam, ex qua in pleniorē postea Dei cognitionem devenimus, prodest varium hominis statum, cujus scriptura sacra meminit, diligenter considerare.

III.

Is autem pro duplici temporis adjuncto, duplex primū statui potest: ut nimirum Prior hominis status *ante lapsum*; Posterior ejusdem status *post lapsum* appelletur.

IV.

Hominis status ante lapsum, felix fuit ac beatus, veruntamen mutabilis: cujus participes fuere primi nostri parentes, Adamus & Eva.

V.

Hominis status post lapsum distingui potest in eum qui est ante resurrectionem: & in eum qui erit post resurrectionem.

VI.

Rursus qui resurrectionem antecedit, duplex est: vel extra gratiam Christi, vel sub gratia Christi: Et uterque vel totum hominem afficit, vel alteram tantum ejus partem, videlicet animam.

VII.

Extra gratiam Christi sunt omnes non-regenerati. Et quotquot ex his ante regenerationem moriuntur, illorum animæ in gehenna torquentur usque ad resurrectionem corporum. Sub gratia Christi sunt

sunt omnes regenerati : & horum animæ post mortem consolationem percipiunt in sinu Abrahamæ , id est, in cælo , usque ad resurrectionem corporum.

II X.

Status verò hominis post resurrectionem futurus, ipse quoque variat: quippe electis in gloria æterna & præmiis felicissimus ac beatissimus: reprobis verò in sempiterna ignominia & pœnis miserri-
mus erit.

IX.

Cæterum de primo tantum illo statu qui innocentia dicitur, in præsentia tractabimus. Quod ut commodius fiat, quatuor de imagine Dei ad quam homo conditus est, quæstiones explicandæ erunt. Prima, an solus homo imago Dei sit, & ad imaginem Dei factus. Secunda, an totus homo factus fuerit ad imaginem Dei, tam corpore quam anima: an verò solâ animâ. Tertia, quid sit hæc imago, quibusve in rebus consistat. Quarta, in quem finem voluerit Deus hominem ad sui imaginem creare.

X.

Ad harum quæstionum primam respondemus hac thesi: *Homo neq, solus imago est Dei: neq, solus factus est ad imaginem Dei.*

XI.

Quod homo non solus sit imago Dei, liquet ex eo, quod scriptura docet, Filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum, esse imaginem Dei Patris: idque tum qua Filius est æternus, & Patris substantia genitus, unde & character substantiæ seu personæ illius vocatur: tum etiam qua manifestatus in carne. In eo enim, visibili per carnem effecto, tota Patris perfectio & quasi facies conspicitur. unde dicebat, *Qui videt me, videt & Patrem meum.* Unde & ab Apostolo imago Dei inconspicui nominatur: quippe naturam Patris, eandemque suam, per varia opera in carne demonstravit.

Hebr. 1. 3.

Iohan. 14. 9.
Coloss. 1. 15.

XII.

Quod verò non solus homo ad imaginem Dei factus sit: planum est ex eo, quod Angelos quoq; ad imaginem Dei conditos esse, dubitandum non est. Etsi enim apud Moysen in creationis historia non expressa Angelorum fiat mentio: tamen quod asserimus, colligitur ex eo, quod Angeli in scriptura nominantur filii Dei. Non sunt autem filii Dei per generationem: sic enim unicus est filius Dei, Dominus noster Jesus Christus. Nec per spiritualem regenerationem:

Iob 1. 6. & cap. 2. 1.

sicut homines electi fideles; quia quum in integritate perstiterint, tali regeneratione non habuerunt opus. Restat igitur ut filii Dei dicantur respectu creationis, qua ad imaginem Dei sunt conditi, ita ut naturam Dei referant.

XIII.

Et sané naturam Dei referunt non solum quia sunt substantiæ spirituales atq; immortales, sed etiam quia præditi eccellente sapientia, iustitia & sanctitate: in quibus animi dotibus maxima pars imaginis Dei, ad quam homo fuit conditus, posita fuit.

XIV.

Atque hæc de prima quæstione: ad secundam respondemus hac thesi. *Homo fuit totus, tum corpore, tum anima, ad imaginem Dei factus.*

XV.

Hoc primùm intelligi potest ex eo, quod per Adæ inobedientiam non sola anima, sed & corpus hominis corruptum est peccato. Unde illa Paulina, Ne regnato igitur peccatum in mortali vestro corpore. Item, Video aliam legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ. Si igitur totus homo corruptus est, totus etiam fuit integer, ac proinde ad imaginem Dei conditus.

XVI.

Deinde non sola anima, sed etiam corpus electorum per Spiritum sanctum sanctificatur ac renovatur, atque ita in utroque imago Dei instauratur: unde Apostolus corpora fidelium templa Spiritus sancti esse dicit.

XVII.

Præterea Deus cavens, ne homo hominem occidat, hanc affert rationem, *Quia Deus hominem fecit ad suam imaginem.* Gen. 9. v. 6. Quod si imago Dei per homicidium violatur, necesse est ut illa ad corpus quoque pertineat: quum solum corpus occidatur. Anima enim, teste Christo, occidi non potest.

XIX.

Atque hæc de quæstione secunda: jam ad tertiam respondemus hac thesi: *Imago Dei in homine, partim in hominis substantia, atq; in primis animæ, & in partibus ejus essentialibus, seu potentiis seu viribus: partim in certis qualitatibus, certaq; dignitate, honore & gloria, consistebat.*

XIX.

Ac primùm ad substantiam animæ quod attinet, sicut Deus essentia est spiritualissima & simplicissima: sic animam dedit homini sub-

Rom. 6. v. 12.

Rom. 7. v. 23.

1. Cor. 6. v. 19.

substantiæ incorporeæ, spiritualis & simplicis, quæ referat Dei naturam. Atque hinc est, quod dicitur eam insufflasse seu inspirasse in hominem. Unde & illud Arati à Paulo approbatum, *το γὰρ πνεῦμα* Genes. 2. v. 7. Act. 17. v. 28. *ἔσμεν*. Ac sicut Deus invisibilis est, sic animam fecit invisibilem. Et sicut Deus est immortalis, sic animam fecit immortalem. Item sicut Deus est essentia intelligens, omniaque cognoscens, libereque omnia volens: sic animam nostram fecit substantiam facultate intelligendi & liberè volendi præditam. Præterea sicut Deus unus tantum est in mundo, mundum totum suo nutu sustentans, vivificans, regens: sic anima una in corpore, totum corpus vivificat, sustentat, regit & pro suo arbitrio movet. Imò etiam corpus humanum, licet sua natura immortale non sit: ad immortalitatem tamen creatum fuit. Et certè Christus corpora nostra ad vitam immortalem redemit.

XX.

Atque hæc de animæ substantia: jam quod ad potentias seu facultates ejus attinet, his quoque Deum refert anima nostra, & illius est imago. Sicut enim una tantum est essentia divina, & plures personæ inter se distinctæ; quæ tamen omnes re ipsa nil aliud sunt quàm ipsa unica essentia: ita anima hominis una est, pluribus constans essentialibus partibus ac facultatibus: quæ tamen nil aliud sunt re ipsa quàm anima.

XXI.

Porrò ad qualitates seu dotes animæ quod attinet: accenderat Deus in illa primùm faciem cœlestis sapientiæ, qua Deum, ejus voluntatem & opera omnia, naturasque rerum omnium rectè cognoscebat. Hinc Adam adductam ad se Evam mox agnovit, licet eam nunquam antea vidisset: simulque originem ejus & naturam atque usum edisseruit. Atque idem paulò antè animalibus terrestribus, ad se divino nutu congregatis, nomina singulorum naturis convenientia imposuit. Et quum primis parentibus imperium concessum fuerit in omnia animalia: necesse est ut præditi fuerint scientia gubernandi. Sed præcipuum fuit, quod cognoverunt Dei voluntatem: de qua cognitione loquitur Apostolus Coloss. 3. v. 10.

XXII.

Secundò ornaverat Deus primos parentes vera justitia & sanctitate: ut liquet ex verbis Apostoli Eph. 4. v. 24. Item ex verbis Salomo-

nis Eccles. 7. ubi ait, quod Deus hominem creaverit rectum: hoc est, talem ut spiritus seu mens subderetur Deo & ejus voluntati: spiritui autem seu menti anima, hoc est, pars sensitiva omnesque affectus: animæ verò ipsum corpus. Hæc est enim juxta Apostolum, hominis partitio, 1. Thess. 5. §. 23.

XXIII.

Tertiò indiderat Deus animæ hominis in prima creatione liberam voluntatem, qua poterat homo liberè & absque ulla coactione eligere tam bonum quàm malum. Id quod primùm colligitur ex forma præcepti. Cùm enim homo creatus esset rectus & ad malum minimè propensus: lex illi tradita evincit, eum fuisse ad eam servandam & non servandam liberum. Neque enim æquissimus dominus dedisset illi legem: si ad ejus observationem vel transgressionem non fuisset liber à se factus. Deinde idem magis cōfirmat pœna peccato addita, ubi ait Deus: Quocunq; die comederis ex fructu arboris vetite, moriendo morieris. Quorsum enim hæc comminatio, si liberum non erat Adamo præceptum servare, vel non servare? Postremò idem liquet ex libera mandati divini transgressionem: de qua luculenter testatur Moses, Gen. 3. ubi narrat, quomodo primi parentes fallacibus promissis Serpentis decepti, interdictum illud Dei violant.

XXIV.

Cæterùm hisce animæ dotibus adjunctus fuit singularis honos, videlicet dominatio in omnes animantes, ac universam terram. Hanc Genes. 1. §. 26. exprimit Moses, quum ait, Deum dixisse, Faciamus hominem ad imaginem nostram: & dominantur in pisces maris, & in volucres cœli, &c. Atque hujus imperii symbolum fuit, quum Deus omnes terrestres animantes adduxit ad Adamum, ut suum cuique imponeret nomen, &c. Sic vir ab Apostolo, propter authoritatem & imperium in uxorem, vocatur singulariter imago Dei, 1. Corinth. 11. §. 7.

XXV.

Hactenus de imagine Dei in anima hominis. Jam ad corpus quod attinet: nulla ferè in corporibus nostris membra sunt quæ in sacris literis non attribuantur etiam Deo. Certum verò est, hæc Deo non attribui propriè, sed μετὰ φεικῆς: quod his nominibus significantur Dei perfectiones variæque operationes. Unde colligitur, membra corporis hu-

ris humani esse ceu typos & exemplaria visibilia, quibus multiplices illa perfectiones divinae represententur. Verbi gratia oculis representatur multiplex Dei sapientia, qua omnia videt ac novit. Manibus, potentia: qua omnia fabricatus est, & quotidie operatur. Lingua, actio illa Dei qua se suamque voluntatem hominibus olim patefecit certo sermone: item actio illa Dei qua omnibus aetatibus intus loquitur cordibus electorum per arcanum afflatum Spiritus sancti.

XXVI.

Adhuc lux illa sapientiae quae in anima latebat, in ore ac vultu hominis relucebat, maxime tum quum per linguam sese foras exerceret. Cujus rei exemplum capi potest a Stephano Act. 6. ult. Similiter justitia & sanctitas per corporis actiones sese exerunt: unde corpora fidelium nominantur templum Spiritus sancti, 1. Cor. 6. §. 19.

XXVII.

Præterea dominatum illum quem homo accepit in omnia animalia totamque terram, non potuit nec adhuc potest exercere nisi per corpus: videlicet loquendo, jubendo, ducendo, agendo, edendo & alia id genus opera præstando. Quumque pars hujus dominatus sit potestas illa quam vir habet in uxorem, teste Apostolo 1. Cor. 11. §. 7. notum est, differentiam sexus non in anima, sed in corpore positam esse.

XXIX.

Porro quia hæc pars imaginis Dei quae in excellentia sexus consistit, sublata non est: intelligitur hinc, imaginem Dei non esse prorsus in homine per lapsum deletam. Quod ipsum adhuc magis ex eo patet, quod Gen. 9. §. 6. in genere de omnibus hominibus affirmatur, Qui effuderit sanguinem hominis, per hominem sanguis ejus effunditor: quia ad imaginem suam Deus hominem fecit.

XXIX.

Explicatis ita tribus prioribus quaestionibus, restat postrema: ad quam hac thesi respondemus. *Finis cur homo ita ut explicatum est, conditus sit ad imaginem Dei, est gloria Dei; secundum dictum Salomonis, Deus omnia fecit propter seipsum:* ut nimirum posteaquam genus humanum per liberam voluntatem peccasset, atque ita sese in aeternum exitium præ-

cipitasset: ipse haberet occasionem tum quosdam lapsorum ex misericordia in integrum restituendi, tum reliquos ex justo iudicio in suo exitio relinquendi, Rom. 9. v. 22. & 23.

X X X.

Quod restat, gratias agimus Deo, quod & Filium nobis ordinavit in mediatorem, qui ipsum nobis reconciliaret: & unâ cum Filio, ac per illum nobis donavit Spiritum sanctum, qui imaginem Dei paulatim in nobis instaurat. Ac oramus eundem, ut opus gratiæ suæ in nobis suo tempore perficiat: idque ad laudem gloriæ suæ gratiæ, & ad salutem nostram sempiternam,

Amen.

FINIS.

